

fico funere efferri, atq; indè alteri quoq; tale funus faciendum esse, existimet, is nec mensuram officiorum habet, nec aliò modò obligatur, quàm quò ex conscientia erronea solemus.

Quod attinet jus Gentium non parum præjudicii hinc nobis facere videtur perversa nonnullarum gentium consuetudo, apud quas nullum planè sepulturæ usum fuisse, constat. Sic de Parthis tradit *Justinus lib. 41. c. 3.* quòd eorum sepultura vulgò aut avium aut canum laniatus fuerit: idem de Persis scribit *Herodot. 1. 140.* à quibus inhumanum hunc humandi ritum ad Parthos defluxisse, annotat *Bernegger ad d. Justin. locum.* Ita quoque Carthaginenses mortuorum suorum corpora cremare potius quàm terrà obruere à Rege Persarum jubebantur, teste *cod. Justin. lib. 19. c. 1.* Imò quasdam gentes fuisse, quæ mortuorum suorum cadavera devorârunt, suspendèrint, in mare, in sterquilinia abjecerint ex *Joh. Gerhard.* notat *B. Carpzov. Cuius de jurisprud. nostrâ meritissimus, in Jurisprud. Eccles. lib. 2. def. 373. n. 1. conf. def. 394. n. 1.* Verùm, utut ejuscemodi populi tam perversæ rationis reperiantur, eorum tamen inhumana consuetudo juris rectitudinem non inducit, siquidem non spectandum, quid fiat, sed quid fieri debeat. *l. 12. ff. d. Off. Præs. d. & juxta celeberrimi nostri seculi Politici Dn. Conringii sententiam in Diss. d. jure §. 37. illud justum est, quod à Viris prudentioribus potissimum approbatur, illud naturale, quod ubivis eodem modò sese habet, licet quædam gentium minus moratarum constitutio ab iis recedat.* Rectè igitur cum incomparabili juris Nat. & Gentium Doctore Hugone Grotio *lib. 2. d. j. B. & P. c. 19.* statuimus, ex jure Gentium quoque deberi corporum mortuorum sepulturam. Quò facit responsum Andromachæ (alii Antigones) ap. *Sophoclem* Regi Creonti, qui Polynicen humari vetuerat, datum:

*Decreta quippè (inquit,) hæc nec supremus Jupiter  
Nec fas Deorum manium dictaverat,*

B 2

Queis